

Scriptura demonstrat. Jam Aaronis successores fuerunt duo, Eleazar, & Ithamar; à quibus Sacerdotes omnes, Pontificesque propagati sunt. Sed penes Eleazari familiam summus initio Pontificatus exiit. Nam Phineez Eleazari F. Numer. xxv. 13. propter singularem pietatis ardorem, ac zelum, sacerdoti successione donatur, & quidem in sempiternum: quod, ut alia pleraque Dei promissa, *carbensis* intelligi debet; si quidem ejus posteris in officio sibi constarent; quod non fecisse postea creduntur. Nam ad alteram familiam, Ithamaris scilicet, Pontificatus translatus est: ac primus ex ea stirpe, redactis in ordinem Eleazari posteris, Magistratu illo functus est Heli. Eleazari genus Scriptura lib. 1. Paralip. cap. vi. 3. descripsit; Ithamaris penitus tacuit. Phineez Eleazari F. genuisse dicitur illic Abisue: ab hoc Bocci genitus; cujus filius Ozi. Ozi Zariaam genuit: hic Meraioth: iste Amariam: Amarias Achitobum, cujus filius Sadoc, qui à Salomone Pontificatum accepit. Totidem lib. 1. Efd. cap. vii. percensentur. Hic igitur prima questio nascitur; quoniam ex Eleazari familia continuata successione ad Heli usque summum sacerdotium obtinuerint. Josephus lib. viii. cap. 1. tres omnino post Phineen Pontifices numerat; Abisue, Bocci, & Meraioth. quamquam pro Abisue, scripsit Abiezer. Non plures in Chronico Nicephorus expressit; qui & errore non mediocri unum in serie Phineen collocat: ceteros tres velut adscriptos accenset. Lyranus Josephum secutus est. Abulensis in caput 11. lib. 1. Reg. Quæst. xxx. post Ozi duos ex lib. 1. Paralip. & Efdre subjicit, Zariaam, & Meraioth. Quod ad Josephum attinet, mutata sententia videtur in fine *Αρχαιολογίας*, nempe libri xx. cap. 1. tres alios adnumerasse. Scribit enim tredecim ab Aaron ad Templi conditum fuisse Pontifices. At verò si tres solos inter Phineez & Heli inferas, decem non amplius Tabernaculo ministrarunt. Quare Onufrius in Catalogo Pontificum Hebræorum e Scriptura desumpto tres eosdem numerat; Achitobum excludit. Recentiores quidam Chronologi ne Achitobum quidem omittendum existimant. Ait enim in illa lib. 1. Paral. ferie qui censentur, eos omnes fuisse Pontifices. Atqui ingens ex eo sequitur absurdum. Nam Achitobus ille, qui in 1. Paral. & Efdre cap. vii. nominatur, pater fuit Sadoci. Porro ut ab Achitobo genitum putemus esse Sadocum paulò ante mortem, cum Heli annis xl. Pontifex fuerit, ac totidem à Samuele, & Saule transactis, David regnare cœperit, annorum octoginta fuerit Sadocus, quando David regnum iniit. Hic autem ad Davidem in Hebron sede cum tribulibus suis contulit, anno, quam in Tribum Juda imperium cepit, octavo labente; hoc est vii. annis exactis cum vi. mensibus. Lib. 11. Reg. v. 5. Tum igitur Sadocus annum saltem agebat etatis octogesimum octavum. quod ridiculum est. Nam *puer egregia indolis à Scriptura nominatur, 1. Par. xii. 28.* quando in Hebron venit ad Davidem; vel, ut in Hebræo legitur, *וְיָדָבָר אֲדֹלֶשֶׁת מְרִיבָה*. Ita qui non minus octoginta octo annorum fuit, puer aut adolescens viribus inclutus à Scriptura dicitur. Ut hanc absurditatem effugiant, Achitobum illum, qui in 1. Par. & Efdre commemoratur, non patrem fuisse Sadoci, sed avum putant: & alium, fortasse cognominem, à Scriptura pratermissum; quod in aliis locis eadem fecisse non ignoramus. Sed hi gratis, & *de ætatis divinant.* Non enim si alicubi Scriptura quempiam in catalogo aliquo præterit, id ad exemplum trahi debet, ut quodcumque libuerit, simulatque quæstionis te difficultas pulaverit, paratum illic estugium, ac receptum habeas. Hoc enim nimis *εὐχρηστικόν* est, & verò periculosum, ut appareat, exempli; si absque Scripturæ locorum aliorum evidentiore testimonio, ex ingenio ista comminisci liceat. Matthæus in Christi stemmate capita tria, vel quatuor omisit. Esto. Nam omiſſa fuisse quæ consulto, quæ librariorum, in uno videlicet, incuria, docent alii Scripturæ libri; ubi recensentur, ex iis historiæ, Chronologiæque tuam potes dirigere. Idem & de affinis locis debet esse judicium. At in hoc nostro negotio, quid tandem simile? Sadocus Achitobi filius nominatur; 11. Reg. cap. viii. 17. Lib. 1. Par. vi. 12. Efdre 1. cap. vii. 2. In libro verò Paralip. ubi Aaronis per Eleazarum stemma deducitur, Achitob genuisse dicitur Sadoc. Quis alium credat Achitobum hoc loco

Quot ab Aaron ad Heli Pontifices fuerint.

Aburditas opinionis recentiorum quorumdam.

memorari Sadoci patrem, quam ejus in lib. 11. Reg. cap. viii. filius Sadoc appellatur? Deinde cur illum nominis ambiguitatem, & *εὐχρηστικόν* in Achitobo potius, quam in altero stemmatis ejusdem, ac lineæ commentum sunt? Cur, inquam, non duos fuisse vel Amarias, vel Meraioth, vel Zarias, vel Ozi; vel certe Phineez, Eleazarove duos eadem licentia conjectantur? Neque enim aut absurdus id in alterutro, quam in Achitobo, sibi permittant: aut sapius, ac manifestius Phineez putà Eleazari filius, quam Sadocus Achitobi filius in Scriptura vocatur. Cur Achitobum igitur præ ceteris in ferie decerint, in quo simplici Scripturæ veritati fucum facerent; ac duplicem esse juberent, rationem, si possunt, aliquam vel verisimilem afferant. Nam quod illos eò maxime compulsisse videtur, uti scilicet in longum illud temporis intervallum, quod ab Aaron ad Heli fluxisse creditur, quam possent plurimos pontifices infererent, ne singulorum Magistratus & ætates ultra communes humanæ vitæ terminos propagare cogerent; id tribus illis e ferie decerptis, & Achitobo, propter absurditatem, omisso, commodè sublatum est.

Sua cuique putandorum temporum ratio est. Nostra *Quæstio* est superioribus ejusmodi colligitur. Mortuus est Aaron circa annum mundi 2493. Heli Pontificatum iniit anno circiter 3849. Intervallum, anni 356. qui in Pontifices viii. partendi sunt. quod perspicue est. Nam singulis anni competent non plures quam xlv. Hoc verò spatium mediocre est; & nonnullos constat longe ultra annos istos Pontificatum produxisse suum. De Phineez Hebræorum Magistrorum sententia est, vixisse aliquot ipsum sæculis, etiam post Samonem, & Heli. quorum duplex est argumentum: alterum, quod in libro Judicum, post omnem Judicum, addeque Samsonis explicatam historiæ, capite xx. 28. Phineez Eleazari filius, Aaronis filii præfuisse legatur, per illud bellum, quod reliquæ tribus Benjaminiticæ tribui propter stuprum Levite conjugii à Gabaonitis oblatum indixerunt. Alterum, quod virum illum Dei, quo Heli Pontifex divinum ob filiorum ejus scelera decretum accepit: 1. Reg. 11. 27. Phineen interpretentur Eleazari F. Pergunt aliqui longius fabulandi succedine, & Eliam ipsum, ob zeli scilicet ardorisque similitudinem, Phineen esse suspicantur. Hanc opinionem R. David Kimhi in lib. 111. Reg. cap. xvii. commemorat, amplectitur autem Elias in Thisbi. de qua re plura in Animadver. ad Epiph. ad Hæc. iv. disputavimus. Quæ quamvis Hebræorum sententia perabsurda sit; eò tamen valere potest, ut nonnullos ex antiquis illis Pontificibus præter usitatum vitæ modum avum suum prorogasse non dubitemus. Sanè in ceterioribus Pontificibus liberales sunt nostrorum Chronologiæ, & nonnullis ultra quinquaginta Pontificatus annos; aliis etiam plures attribunt: velut Azarias; cujus tempus cum Ozia regis anni adæquant: nec non Josedeco, & aliis; quos sola ex conjectura certis intervallis definiunt. Atenim Eleazarus eodem anno mortuus est, quo Josue, ut ex calce Josue colligunt. Obiit verò Josue non multo post ingressum in Palæstinam tempore, nempe anno xlv. ut lib. 1. capite xxxiii. diximus. Unde cccxi. anni in solos vii. partendi sunt. Verum ut de Eleazaro assentiamur ipsis nihil ex eo sequetur absurdum. Nam commodè in vii. Pontifices intervallum illud tribuemus. Deinde quando mortuus sit Eleazarus, nego è Scriptura satis idoneè posse confici. Non enim sub idem tempus, quo Josue decessit, extinctum esse docet Eleazarum: sed eum de loco, ubi Josue sepultus est; & ante hunc de sepulchro Josephi mentionem fecisset; voluit & locum indicare, ubi Eleazarus est sepultus. Quocirca nihil nos vetat pluribus post Josue obitum annis Eleazarum supersitem facere. Ex iis patet, meritò decimum ab Aaron Pontificem numerari à nobis Heli; qui primus ex Ithamaris stirpe Pontificatum tenuit. In quo falsus est apocryphus Efdre quartus; qui initio capitis primi, Efdre genealogiam per Heli ad Phineez, & Eleazarum deducit. Hoc enim germanæ canonicæque Scripturæ contrarium est. quæ & Efdre stirpem ad Eleazarum refert 1. Efd. cap. vii. & Heli ab Ithamare propagatum esse declarat in libro 1. Reg. Post Heli, Pontifices ex eadem Ithamaris progenie fuerunt tres omnino: si quidem rectè Josuephus tabernaculo tredecim ministrasse scribit. Hi sunt, Achitob,

Heli ab Aaron.

Achitob; Achias, five Achimelech, & Abiathar. De Achitobi (qui alius est à Sadoci patre) Pontificatu Scriptura tacuit; & solum ejus filium Achimelechum Pontificem fuisse significat; quem & Saul interfecit, 1. Reg. cap. xxii. Sed probabiliter conjicimus etiam Achitobum ipsum ante Achimelechum summo Sacerdotio fuisse præditum. quem quidem fratrem Ichabod, & Heli nepotem, filiumque Phineez caput xiv. lib. 1. Reg. nominat. De Samuele dubium est, an summus Sacerdos fuerit. Fuisse veteres quidam Patres arbitrati sunt; ut Augustinus, lib. xii. con. Faustum, capite xxxiii. Et quidem omnes Pontificis partes explevit. Verum extra ordinem constitutus à Deo videtur, ut & Elias; non tamen Pontifex fuit, quia nec de Sacerdotali familia traxit originem. Postremus ac tertius decimus est Abiathar; quem Salomon exauctoravit, eique Sadocum substituit. Ceterum Achimelechus alio nomine vocatus est Abiathar, & filio cognominis fuit. quod ex lib. 11. Reg. cap. viii. 17. colligitur: ubi sub Davide jam regnante Sacerdotes fuisse memorantur Sadoc, & Achimelech filius Abiathar. Ex quo patet non solum Achiam, five Achimelechum, vocatum esse Abiatharem; sed ipsum quoque filium ejus Abiatharem paternum Achimelechi nomen obtinuisse. Item lib. 1. Par. cap. xviii. 16. Abiathar ipse filius Achimelech, dicitur filius Abiathar. Qua ratione locus ille Marci 11. 26. declaratur, in quo David sub Abiathare principe Sacerdotum propositos panes edisse fertur; cum ab Achimelecho istos acceperit. Verum & iste

dicitur est Abiathar. Nec alia magis interpretatio auctoritati Marci convenit. Igitur ab Aaron ad Templi conditum, Pontifices numerantur tredecim, annis circiter ccccxxxv. id est ab anno mundi 2454. quo cepit Aaron, ad 3703. quo templi fundamenta jacta sunt.

CAPUT LI.

De Pontificibus, qui à Templo condito ad ejusdem excidium Synagoga præfuerunt.

TRIBUS ex fontibus posteriorum istorum Pontificum successio, eorumque nomina petuntur: è Scriptura, Josepho, & Hebræorum Chronico, quem Seder-holan minorem vocant. Lib. 1. Paral. cap. vi. Aaronis per Eleazarum propagata genealogia describitur, in eaque capita censentur xiv. à Sadoco ad Josedecum; qui Babylonem deportatus est. Josephus autem lib. xx. Orig. cap. viii. Pontifices octodecim Templo ministrasse scribit; quos lib. x. cap. xi. percenset: sed xvii. tantum in catalogo reperit. At in Seder Hebræorum xix. perscripti sunt, vel xx. Nam de Zacharia Joiadæ filio ambiguo loquuntur. Primum ergo triplicem illam seriem in Laterculo proponemus, ut deinde comparare illos inter se facilius possumus.

Laterculum Pontificum Hebræorum triplici ferie constans à Templi conditu ad excidium.

E Scriptura.	Ex Hebræorum Chronico.	Ex Josepho.
I Sadoc	I Sadoc	sub Salomone. I Sadoc.
II Achimaa	II Achimaa	sub Roboam. II Achimaa
III Azarias	III Azarias	sub Abia. III Azarias
IV Joannan	IV Joachaz	sub Josaphat. IV Joram
V Azarias	V Joarib	sub Joram. V Ifus
VI Amarias	VI Josaphat	sub Ochozia. VI Axioramus
VII Achitob	VII Joiadas	VII Phideas
VIII Maraioth	VIII Phadaias & Joaz	VIII Sadeas
IX Sadoc	IX Zacharias	IX Julus
X Sellum	IX Zedachias	sub Amafia. X Joatham
XI Helcias	X Joel	sub Ozia. XI Urias
XII Azarias	XI Jotham	sub Joatham. XII Nerias
XIII Saraïas	XII Urias	sub Achaz. XIII Odcas
XIV Josedec	XIII Nerias	sub Ezechia. XIV Saldumus
	XIV Ofaïas	sub Manasse. XV Helcias
	XV Sallum	sub Amon. XVI Sareas
	XVI Helchias	sub Josia. XVII Josedec
	XVII Azarias	sub Joakim.
	XVIII Saraïas	sub Sedecia.
	XIX Josedec	in deportatione.

Triplex ista series diversa plerumque Pontificum eorumdem vocabula repræsentat; aliis non multum differant; & sepius accidit, idem ut *διωκόμενοι* essent, aut pluribus etiam nominibus afficerentur. Et quidem Josephi nomina cum Hebræicis è Seder-holan depromissis, in multis consentiunt; nec nisi levi aliqua commutatione differant. in quo Josephus id spectasse videtur, ut Hebræicorum nominum nativam asperitatem Græcica conformatione molliret. ceu cum Julum vocat eum, qui Hebræis est Joel. Sed de nonnullis Pontificibus hæc observanda sunt. Primum Joiadas, qui sub Athalia, & Joaz rege vixit; à Josepho, & Scriptura præteritus est. Sed quod ad hanc spectat; non

Joiadas solum; sed & alii inter Amariam, & Achitobum omiſſi videntur. Nam Helcias sub Josia Pontifex fuit, 1v. Reg. xxii. 8. Amarias sub Ochofia. Josias iniit anno mundi 3343. Ochozias, sub quo Amarias regnavit anno 3099. Intervallum anni cccxv. quos à tribus, vel quatuor exhaustos esse non credimus. Ad hæc cap. vi. lib. 1. Paralip. omiſſus est inter Achitob, & Sadoc, Maraioth, qui capite 1x. 21. commemoratur. Ob id Scripturam sacram arbitror consulto, ut in aliis locis factum scimus, Pontifices aliquot omiſſis; quos ex Josepho, & Seder-holan petere oportet. Sed ad Joiadam revertor. Hic sine dubio Pontifex magnus fuit sub Athalia, & Joaz. Nec aliter judicabit; qui lib. 1v.

Zacharias lib. iv. Reg. cap. xi. illius gesta contemplantur. De Zacharia Joiaze filio res est incertior: quem quidem Seder-holam in Pontificum gradum afferere videtur. Nam Zachariam Sacerdotem & Prophetam fuisse refert; nec de alio Sacerdotis genere, quam summo, ut apparet, loquitur. Verum cum sub Joas idem liber asserat duos exstitisse Pontifices, Joiam & Phedaiam: exclusivum videtur Zacharias. Ac nescio an Phedaias Joiaze F. & frater Zachariae naturae major fuerit: hic autem cum sacerdos privatus esset, à Joa rege sit occisus. De eo praterea, qui sub Ozia Pontifex M. fuit, jure dubitatur: quem Hebraei Joëlem, Josephus Julum vocat. At II. Paralip. cap. xxvi. 20. Azarias illius temporis Pontifex censetur, qui Ozia regi sacris sese functionibus immiscuit sacerdotali vigore restitit. Quare varie ille nominatus fuerit: quemadmodum & Uriam Josephi, & Hebraeorum putamus eundem esse cum Achitobo: & Maraioth cum Neria. De Sadoco, qui ante Josedecum sextus in Scriptura memoratur, ambiguum est. Nam sextus itidem ante Josedecum apud Hebraeos est Osiias sub Manasse. Quod si verum est, historiam Judithae sub Manasse contigisse, & in interregno, quod post ejus deportationem accidit; Eliachim, qui & Joachin, Pontifex magnus fuit. Oportet igitur pluribus illum nominibus appellatum esse. Porro Pontificum singulorum anni, & exacta tempora nulla ex historia expediri possunt. Neque verò nonnullorum institutum probamus, qui cum ex Hebraeorum Chronico didicerint, sub quo quique rege vixerint; historia certioris inopia, totidem annos Pontificibus assignant, quot reges ipsi regnaverunt. Satis erant rem, uti est, obscuram, incertamque relinquere, ac Pontificum annos omittere; quam metas divinationes persequi.

Ad summam: à Sadoco, fundatoque Templo ad ejus vastationem annis ccccxxiv. Pontifices censentur XIX.

CAPUT LII.

De Hebraeis Pontificibus à deportatione Babylonica ad Hasamonas, ac praesertim Menelaum, Lysimachum, & Jafone, Alcimo.

JOSEPHUS Originum lib. xv. cap. v. Pontifices quidem numerat à Babylonica vastatione ad Antiochum Eupatorem, à quo Menelaus, qui & Onias vocatus est, intrusum refert. Totidem & in Tabula nostra in fine Operis exhibemus. Horum postremus est Jafon, sive Jesus Onia II. frater secundum quem ad Judam Maccabaum tres exsistere pessimi, perditissimi que Pontifices, Menelaus, Lysimachus, & Alcimus: de quibus hic potissimum agemus. Hoc enim quaritur, an inter Pontifices collocandi sint. De Menelaus & Lysimacho, quem posterior Josephus praterit; negant ideo nonnulli, quod nequiquam ex Aaronica stirpe, ac ne Levitica quidem tribu fuerint. Nam lib. II. Maccab. cap. III. 3. Simon ille nequissimus, qui Onia sancto Pontifici inimicus fuit, è tribu Benjamin fuisse narratur. Hujus autem frater Menelaus appellatur, cap. IV. 23. Menelai porro frater Lysimachus erat: ibid. com. 29. At verò Josephus lib. XI. cap. VI. Menelaum in sacerdotalem familiam asserit, & Jafonis fratrem appellat. Mihi persaepe videtur cum Scriptura conciliari Josephum. Itaque Menelaum existimo revera ex Aaronica stirpe, & verò Pontificem fuisse. Quod autem Simonis Benjaminitae frater vocatur, non, ut aliqui, ad amicitiam, familiaritatemque revoco; sed ad affinitatem, quae inter diversas tribus jungi solebat. Sic B. Virgo, quae erat de tribu Judae, cognatam habuit Elizabetham ex filiabus Aaronis. Fortean igitur Menelaus Simonis sororem, aut hic illius duxerat: unde fratres invicem appellantur. Alius est Josephi error in hoc ipso Pontifice. Nam ab Antiocho Eupatore Pontificem eum esse factum refert, ex auctoritate Jafone. quod cum lib. II. Maccab. historia,

Augustinus Lib. de Civitate Dei VIII. cap. 47. ait ipsum à genere sacerdotali alienum fuisse. Petavius.

DE DOCTRINA TEMPORUM,

cap. IV. pugnat. Hinc enim colligitur, superstitie adhuc Epiphane, Menelaum contra Jafonem conspirasse, & ad sese advertisse sacerdotium. Accedit quod Judas, vivo adhuc Epiphane, Pontificatum tenuit. Atqui ante Judam Alcimus, ut idem Josephus narrat, quatuor annis Pontificatum gessit, & ante Alcimum Menelaus. Minimè ergo consentaneus est sibi ipse Josephus. Quod autem Menelaus recte ab eodem in Aaronicum stirpem referatur, vel inde conjicimus, quod ne fando quidem auditum fuerit umquam, sacerdotem, nedum Pontificem, apud Judaeos ullum exstitisse, qui non ex Aaronis stemmate propagatus esset. Nam & Herodes postea, cum occupatum à se regnum ope omni stabilire cuperet; ac Pontificiam dignitatem, & auctoritatem veritus, non nisi devotissimis sibi, & obscuris homines in tanto fastigio collocaret, si id usurpatum aliquando meminisset, libentissimè illiusmodi exemplo esset usus, ac Pontificatum ipse gessisset; de quo tamen ne cogitare quidem est ausus. Non est itaque verisimile Menelaum ex alia fuisse stirpe, quam Aaronica. Idem de Lysimacho Menelai fratre sentiendum; quem omisit Josephus. ac Scriptura discrete amoto ejus fratre Menelaus successisse Lysimachum refert; qui iidem artibus eam dignitatem, quibus Menelaus ipse, promeruit; ambitione videlicet, ac pecunia. unde vel neuter, vel uterque in Pontificum serie recenseri debet.

De Alcimo, extra controversiam est, ipsum ab Aaronis origine duxisse, I. Maccab. VII. 14. Sed in eo longè gravissimus Josephi error est sacerdotum librorum auctoritate castigandus est. Scribit enim historicus ille lib. XII. cap. XVII. Alcimum annis quatuor gessisse Pontificatum, & post ejus obitum Judam populi suffragiis electum Pontificem. Verum ex historia sacra Maccab. evidens est, Judam ante Alcimum obisse. Nam ille Graecorum anno cII. perit, I. Maccab. IX. 3. Alcimus verò anno Graecorum cLII. uti com. 54. scriptum legitur.

Verum ut quatuor istorum perditissimorum Pontificum tempora, quoad fieri potest, & sacris libris eruantur: primus Jafon fratrem suum Oniam summo sacerdotio dejecit, & hoc ipse ab Antiocho Epiphane magnis pecuniis obtinuit, sub ipsum, ut apparet, Epiphaniis initium, ut ex lib. II. Maccab. cap. IV. 7. colligitur. Cùmque in eo magistratu quinquè aut sex annos exegisset, Menelai fraude circumventus, ex auctoritate est. Eodem enim capite, com. 21. Antiochus postquam Apollonium ducem in Aegyptum miserat, Hierosolymam veniens ab Jafone honorifice susceptus, inde in Phenicem abiit. Et post triennium tempus (ait com. 23.) Jafon ad Antiochum munera per Menelaum misit, qui Pontificatum ad sese tradidit. Triennium illud unde numeretur incertum est. Nam aut ab adventu in Urbem Antiochi, aut ab intrusione Jafonis putare licet, quod posteriori Torniellus amplectitur ad A. 388. Malo ad priorem epocham referre. Ita cum Antiochi profectio in urbem circa annum ejus secundum aut tertium accidisse videatur, anno quinto Pontificatus sui Jafon in ordinem est redactus. Cœpit enim anno Graecorum cxxxviii. vel sequenti, & anno circiter cxi. vel sequenti à Menelaus dejectus est. Menelaus autem & ipse paulò post, cum promissas regi pecunias non solveret, à Lysimacho fratre pulsus est, cap. IV. 29. Is brevi admodum spatio Pontificatum tenuit: statim enim consensu multitudinis opprimitur. com. 42. Porro Menelaus post Antiochi Epiphaniis obitum ab ejus filio Eupatore necatus est, anno Graecorum cI. qui cxi. in lib. II. Maccab. XI. 7. appellatur, ob diversam epocham, de qua suo loco. Ita annis circiter VII. Pontificatum sibi arrogavit. Hinc Alcimus à Demetrio Seleuci F. fuisse videtur, I. Maccab. VII. 9. anno Graecorum cLI. Sed jam à Judaeis legitimus Pontifex institutus erat Judas Maccabaeus, de quo paulò post agetur.

Igitur ab everfione Urbis, ac Templi quae anno circiter Julianæ Periodi 4125. accidit, ad Hasamonorum Pontificatus exordium, quod in annum Graecorum circiter cxi. Periodi Julianæ 4548. convenit, annis fere

Emendabat Petavius: non solveret, ex auctoritate Lysimacho fratri cessit, cap. IV. &c.

LIBER DECIMUS, CAP. LIII. LIV.

fere ccccxxiii. Pontifices numerantur XVII. vel XVIII. si Alcimum accenseas, qui ideo minimè reponendus videtur; quòd utcumque intrusus esset, non in caducam, & vacuum Pontificatum possessionem, sed ab altero, & quidem legitimo jam occupatam pedem posuerat. Itaque XVII. tantummodo numeramus excluso Alcimo. At Josephus ad Menelaum usque, & Eupatorem (ab Antiocho enim Eupatore Menelaum Pontificem esse factum putat) annis ccccxxiii. Pontifices xv. percenset. Nos verò totidem, quot ille, Pontifices ad Menelaum; annos verò decem amplius reperiimus.

CAPUT LIII.

Quis ille sit Onias, ad quem Arius Lacedaemoniorum rex epistolam scripsit. Ostenditur primum hunc esse Judaeum filium. Diodori, Scaligeri, & aliorum errata castigantur.

LIBRO Maccabæorum primo, capite XII. mentio sit epistolae ab Ario rege ad Oniam summum Judaeorum Pontificem missae. Nam Jonathan Pontifex ad Spartanos scribens, hoc illis in memoriam revocat. Jam pridem, inquit, missa erant epistolae ad Oniam summum Sacerdotem ab Ario, qui regnavit apud vos, &c. De utroque, hoc est tam Ario, quam Onia; sed hoc praecipue, magna quaestio est. Quam hoc loco diligentius inquirendam putamus, quòd imperiti quidam ad Historiam sacrae Maccabæorum elevandam fidem argumentum inde sumplerunt: ut inter alios Molinatus in Scuto fidei: qui Onia tempore negat Arium ullum Lacedaemoniorum regem exstitisse; illum verò, cujus Pausanias Laconicis, & Plutarchus in Pyrrho meminerunt, octoginta amplius annis superiorem fuisse. Quae quam falso, infestèque jactata sint, uti cetera Operis illius, hoc capite constabit.

Tres sunt antiquorum, ac recentiorum de Onia illo sententiae; totidem videlicet, quot hujus nominis per id tempus Pontifices fuerunt. Primus Onias Judaeus F. qui Ptolemaei Lagi F. tempore vixit. Secundus Onias Simonis Julii F. qui sub Ptolemaeo Evergete Aegypti, & Seleuco Callinico Syriae regibus vixit: circa annum 4470. Periodi Julianæ, Graecorum LXVIII. Tertius Onias sanctissimus Pontifex; de quo lib. II. Maccab. cap. III. & IV. per honorificam mentio. Vixit is Seleuco Philopatore Antiochi M. regnante, & Antiocho Epiphane. Josephus postremum hunc Oniam esse putat, ad quem Arius scripsit, idque Eusebio persuasit: qui in Chronico, ad annum MDCCLX. Abraami, Olymp. cxi. primum epistolae istius meminit. Annus primus Olympiadis cxi. inquit anno Periodi Julianæ 4506. in quem etiam cadit Eusebianus ab Abraamo 1809. eoque cepit Antiochi Magni decimus nonus Scaliger Oniam primum esse credit. Alii medium.

De Ario Lacedaemoniorum rege Pausanias ita scribit: Cleomene duos esse genitos, Aerotarum, qui patre superstitie mortuus est, relicto filio Aereo: & Cleonymum. Mortuo Cleomene, orta inter Aream & Cleonymum contentione, Senatus judicio praelatus est Aereus. ac ne Cleonymus aliquid contra patriam consilii caperet, honoribus illum ac magistratibus delinire conati sunt. Verum tandem injuriæ memor Pyrrhum in Laconiam accivit: absente interim Aereo, qui in Cretam navigavit. Hæc Pausanias, quæ & Plutarchus in Pyrrho. Ex quo illud præterea discimus, Pyrrhum Lacedaemone depulsam contra Argivos impetum vertisse, & in ea expeditione perisse. Obitus Pyrrhi contigit circa annum I. Olymp. cxxvii. Urbis condita ccccxxxii. Papirio Curfore II. Sp. Carvilio Coss. qui est Periodi Julianæ 4442.

Quidam ex eo, quòd à Cleonymo Pyrrhus contra patriam adductus dicitur, ipso anno primo factum illud existimat, quo Cleonymo rejecto, Arius inivit, proindeque primus Ario indidem exorditur. Unde consequens est; cum Onia II. transfatum illud ab Ario literarum commercium. Falso id quidem. Nam Pausanias satis indicat longè post fratrem illam contentionem, & Ario primordia Cleonymo Pyrrhi opem

Pars II.

implorasse; cum per diu ad placandum ejus animum, varias ab Ephoris functiones, honorisque sit adeptus. Καὶ αὐτὸν οἱ Ἐφοροὶ ἐ δόμοις ἕζετο ἄρχοντος, ἔχοντος δὲ τὴν ἐπιτοχὴν ἐξ ἑσπέρου, παρὶτον, μὴ πρὸς πάλαιον γένος τῆς Σπάρτης. Πλ. 9. ἢ ἰδὲ πάλαι π. ἢ ἐξ ἑσπέρου εἰς πάλαιον γένος ἐξ ἑσπέρου, ἢ Πύρρον δὲ κλειδὸς ἐσπέρου ἐπιτοχὴν εἰς πάλαιον γένος. At hunc Ephoricum alius præmissis lenientes; iam copios præficientes, effecerunt, ut nunquam Sparta hostis esset. Verum tandem multa in patriam hostiliter gessit, & Pyrrhum Aetia F. in regionem induxit. Plutarchus verò non vetere solum abjudicati à se principatus injuria; sed & recentiore, Chelidonidis conjugis ab Acrotato Aeri F. corrupte vehementius exacerbatum Pyrrhum accivisse memorat. Καὶ τότε μὲν ἡμῶν ἐγγύχου, ἢ πρὸς ἐσπέρου αὐτῶν πρὸς τὸ πάλαιον. Hæc ei publica erat, atque vetus cum civibus quaerela. Quid apertius, quam longo post creptum sibi regnum tempore contra patriam venisse cum Pyrrho Cleonymum?

Diodorus Siculus lib. XX. scribit Archonte Athenis Demetrio Phalereo, Cleomenem Lacedaemoniorum regem obiisse, cum regnasset annos IX. menses 5. eique successisse Aretam F. qui annis regnavit XIV. Idem porro Diodorus lib. XV. scripserat Archonte Dyfnico, mortuo Agespulide, successisse Cleomenem ejus fratrem, qui annis XXXIV. regnum tenuit. Atqui Cleomenes iste non alius quam Acrotati pater, avus Arii: quem Aretam mendose postea nominavit. Hunc Diodori confictum Scaliger observat; & posteriorem hanc Diodori sententiam sequitur; Aretamque cenfet anno primo centesimæ duodecimæ Olympiadis inivisse. Atqui Dyfnicetus Archon anno tertio Olympiadis istius convenit; Periodi Julianæ 4344. annis ante initium Alexandri quinque & triginta: ante Pyrrhi mortem prope centum. Sed pro Olympiade cxi. scribere voluit cxi. Subjicit enim Aream ab anno Eusebiano MCLXXXI. ad MDCCLXIV. regnasse. Atqui Olympias cxi. ad priorem illum Eusebium est adscripta. Quamquam in Animadvers. ad annum MDCCLX. Eusebii calculum ut minimum annorum cxi. metachronismo peccare dicit; eo quòd Onias ille Aeri σύμφορος, sub Seleuco Nicator vixit. Deductis annis 140. de 1809. residuum anni 1669. Itaque anno Eusebiano 1670. Olympiadis cxi. anno II. Onias ille cum Ario vixerit. Quid hoc Proteo facias?

Ne diutius in aliorum refulendis opinionibus hæream; Oniam illum è tribus primum fuisse non dubito: Arium verò, ex posteriore Diodori sententia, quæ est lib. XX. Archonte Demetrio, adeoque anno quarto Olympiadis cxi. regnare cepisse, Periodi Julianæ 4405. Ptolemaei Lagide XV. circiter; si ab Alexandri morte annos illius computes. Ita mortuus erit Arius Periodi Julianæ 4449. octavo post obitum Pyrrhi. At Onias secundus cum sub Seleuco Callinico & Ptolemaeo Evergete vixerit, nimium à Pyrrhi temporibus distat. Oportet enim ex iis, quæ paulò ante demonstravi, Pyrrhi expeditionem Laconicam in affectum jam Arii regnum incumbere. Accedit ad hujus conjecturæ fidem, quòd Jonathan ad Spartanos scribens longum intervallum intercessisse scribit ab eo tempore, quo Arius epistolam miserat.

CAPUT LIV.

De Hasamonis, sive Maccabæis Pontificibus, ac primùm de Mathathia, Juda, Jonathan.

POST nefandos ac sacrilegos Pontifices, difficillimis Synagoga temporibus tandem benignus Dominus populum suum ex alto respiciens, præstantissimos Reip. duces, eosdemque Pontifices, ac religionis patriæ vindices acerrimos submisit; quos Hasamonæos, & Maccabæos appellarunt. Neutrius appellationis origo satis explicata. Prior ab Hebraica voce מַתְתִּיָּהוּ proflixit; quæ principem & magnatem significat. Sed incertum est appellativum nomen, an proprium fuerit. Josephus lib. XII. cap. VIII. ambigue loquitur. Scribit enim Mathiam (is est Mathathias) Judæ, ceterorumque fratrum parentem, filium fuisse Ἰωάννη & Σωφρονίου, & Ἀσσανου. Ibi nescias utrum Hasamonæus cognomento sit appellatus Simon avus Mathathia, an Joannes pater, an Mathathias

137
Pag. Gr.
717.
Pag. 488.
Lib. 3.
Pag. 331.
Quæ sit nostra sententia.

Hyrcano per legatos missorum mentionem facit, aurea videlicet phiala, aureique clypei, que per Alexandrum Jafonis filium, & Numenium Antiochi filium, & Alexandrum Dorothei Hyrcanus Romam destinavit. tum societatem cum Judæis, amicitiamque confirmat. de muris verbum nullum. Quare perspicuum est, hallucinatum esse Josephum, & cum varia populorum decreta in Judæorum gratiam scripta penes se haberet; que Joannem Hyrcani tempore olim à Senatu impetrata fuerant, ea Hyrcano juniori prioris nepoti per imprudenciam attribuisse. quod pluribus lib. 1. hujus Operis, cap. de Macedonica Periodo contra Scaligerum ostendimus. Quocirca Joannes Hyrcanis anno nono Pontificatus sui, qui in annum Urbis circiter dcccxxvii. convenit, Sc. illud per legatos obtinuit; eodémque tempore & ab Atheniensibus alterum impetravit. Vide que libro illo primo disputata sunt, & in iis magnam Scaligeri hallucinationem animadvertite. Ceterum que in gratiam Hyrcani junioris à Julio Cesare cum aliis de rebus, tum de mœnium reficiendorum facultate sancita sunt, capite xvii. libri xiv. commemoravit. Hoc verò de muris instaurantis editum est in v. Consulari Julii Cæsaris, qui est ille ipse, quo mortuus est, Varonianus dccc. Tandem Antigonus Parthorum auxilia contra Herodem, & Hyrcanum advocans, patrum suum in potestatem redegit, quem auribus mutilatum, ne qua spes recuperandi Sacerdotii foret, Barbaris captivum dedit. Contigit hæc Parthorum irruptio Aftinio, ac Domitio Coll. qui est annus Urbis dcccxiv. ut auctor est Dio, qui à T. Labieno Pompeianarum partium duce accitos esse Parthos refert. Eodem anno Herodes desperatis in Judæa rebus suis, Romam ad Antonium & Cæsarem profectus, regnum Judææ præter spem obtinuit ex Sc. cum interim Antigonus patruo dejecto Hierosolimam occuparet. Quem ab Soffio demum adjutus anno Urbis dcccxvii. Herodes oppressit. Hinc apparet rectè ab Josepho Hyrcani posterorem Pontificatum annis quatuor & viginti circumscribi. Nam ab anno Urbis dcccxi. quo à Pompeio restitutus est, ad annum dcccxiv. totidem præcisè sunt, nondum tamen absoluti. Ita annis in totum xxxv. circiter Pontifex fuit. Antigonus verò annis, eodem teste Josepho, tribus, cum totidem mensibus summum Sacerdotium gessit, qui ab anno Urbis dccciv. ad dcccxvi. continentur. Indidem porro manifestum est, post Jannæum Alexandrum, Pontifices istos esse numerandos, Hyrcanum, Aristobulam, Hyrcanum secundum, Antigonom Aristobuli filium. Præter hunc verò ex Hasamonæorum sanguine alius, & postremus Pontifex fuit Aristobulus Alexandræ Mariamnes matris filius, & Mariamnes frater, quem in conjugis suæ gratiam natum annos xvii. Pontificem creavit Herodes, & anno postea in Hierichinthina pifcina præfecavit. Joseph lib. xv. cap. iii. Sed ante hunc Ananæus quidam obscurus Sacerdos Pontificatum obtinuit.

Quot annis Pontificatum tenuerit Hyrcanus.

CAPUT LVII.

De Pontificibus ceteris ab Herode ad exilium Urbis. Perhibeat istum deinceps Synagoga status, & sacerdotum omnium fœdissima corruptela fuit; postquam legitima Pontificum vel successione vel electione sublatâ, pessimis actibus, hoc est per ambitionem, & largitionem, summum sibi quisque Sacerdotium comparavit. Itaque plures brevi intervallo Pontifices, vel Pontificum potius specie ac larva subornati homines, sic tamquam e sipario in profectum, Sacerdotes iudicari prodierunt: cum ab Regibus, aut magistratibus Romanis, identidem exautoratis prioribus, novi subrogarentur. Sed in hac Pontificum miscella describenda ideo paululum operæ collocabimus, quòd in eorum tempora Christi natalis, & incensus templi, prædicatio; ipsa denique mors incurret. Accedunt graves quedam super nonnullis auctororum controversiæ, & de Pontificatus illorum tempore falsæ quorundam opiniones: que omnia non alio loco à nobis opportunius, quam hic, pertractari, discipularique possunt. Ex iis ergo Pontificibus, qui deim-

de consecuti sunt, de xxi. qui est Simon Boethi F. observandum imprimis, Sigonium libro v. de Rep. Hebr. in Catalogo Pontificum, falsò credere alienigenam ipsum fuisse, quòd Alexandrinus esset quamquam non Alexandrinus ipse, sed Boethus illius pater à Josepho dicitur, lib. xv. cap. xv. Verum ut Alexandræ natus sit, non ideo dici alienigena debet. quandoquidem Judæos complures, & quidem veros, Alexandræ, & in ceteris provinciis habitasse constat. Secundo non minus in eo decipi Sigonium, dum post Matthiam, qui est xxi. Josephum Matthiæ fratrem in serie collocat. Neque enim iste Pontifex fuit; sed vicariam semel operam fratri suo præstitit; cum is propter infirmitatem, in solenni Kippurim functionem obire non posset. Joseph lib. xvii. cap. viii. Tertio notandum Nicephorum in Chronico, & alios vulgò natum asseverare Christum sub Joazarum Pontifice, qui Matthiæ substitutus est. Sed cum Josephus eodem illo capite scribat Matthiam in ordinem redactum, eique subrogatum Joazarum, paulò antequam eclipsis illa contingeret, que ejus obitum antecessit, acciditque Martii xxi. ut nos alibi dicemus: videtur Christum sub Matthiâ ipso potius in lucem editum. Quarto; Joazarum secundum Pontificatum obtinuisse sub Archelao; quod ex Josepho perspicue colligitur; lib. xviii. capite i. & ii. Hic enim Quirini tempore, post Archelai relegationem, Pontificatum tenuisse dicitur.

Quinto post Joazarum successisse Ananum filium Seth, qui à Quirino Pontificatum obtinuit. Hic est Annas Caiaphæ locer: à quo quartus numeratur Caiaphas ipse. Cum igitur Joannis Baptistæ, & Christi præcipue prædicatione, ac passione nobilitati sint illorum Pontificatus; sitque perobscura de ambobus illis controversia; que & ad eam, quam postea pertractaturi sumus, de Baptismo, ac Passione Christi questionem penitus est necessaria; hoc loco Pontificum istorum tempora diligentius perquiramus. Joseph lib. Orig. xviii. cap. i. refert Quirinum, qui ad Archelai bona distrahendâ, & in fiscum redigenda missus fuerat, Joazarum Pontificatum abrogasse, & Ananum filium Seth ejus loco substituisse. Contigit istud anno circiter Juliano lxi. Christi vii. Josephus annum numerat xxxvii. post Antonii cladem ad Actum; quo Quirinus censum instituit. Victus est Antonius anno Urbis dcccxi. Juliano xv. à quo numerati xxxvii. anni desinunt in lxi. Julianum. Hoc igitur Pontificatum iniiit Annas Caiaphæ socer. Post Quirinum Judæam procuravit Coponius; qui cum Quirino ipso missus fuerat. Coponio successit Marcus Ambivivus, Josepho ἀμβιβύης. Huic Amnius Rufus; quo Judæam procurante, mortuus est Augustus. Rufum Valerius Gratus excepit, quem Tiberius ineunte principatu Procuratorem allegasse videtur. Hic paulò post adventum in Judæam suam, Ananum exautoravit, & ejus loco Imaëlem Fabi F. ad summum sacerdotium evexit, anno Christi circiter xvi. Ita Anas novem plus minus annis Pontificatum gessit. Post paulò verò, dejecto Imaële Valerius Eleazarum Anani F. Pontificem facit, qui anno ventente locum cessit Simoni Camithi F. qui nec amplius anno cum præfisset, successorem habuit Josephum Caiapham, quo Pontificatum obtinente, Gratus, cum xi. annis Judæam procurasset, Romam reversus est, eique Pontifex Pilatus successit. Sed de Caiaphæ primordiis, eoque Pontificatus tempore, non vulgaris est questio.

Josephus Scaliger Prolegomenis in Eusebiana Chronica, ita scribit: Valerium Gratum Rufi successorem, anno xi. Tiberii, Christi Dionysiano xxii. Annam Pontificem Max. instituisse, & paulò post Imaëlem, &c. ac demum Josephum Kaiapham anno xxi. qui usque ad xx. annum Tiberii septennium solidum sacerdotio functus est. Scaligerum more suo Casaubonus sequitur in Exercitat. x. contra Baron. N. i. & Exercit. xlii. N. xv. ubi & Illustr. Baronium redarguit, quòd Ananum à Grato, ineunte proceratione, putet in ordinem redactum. Sed huic Scaligeri & Casauboni sententiæ Josephus non favet. Scribit is lib. xviii. cap. v. in calce, Pilatum ob eadem primorum & Samaritanis rebellibus patratam ab Samaritanis accusatum apud Vitellium Syria Præfectum, ab ipso Romam ad causam dicendam fuisse missum, cum x. annis Procurator

Falsò credere alienigenam ipsum fuisse.

Libri xviii.

De Annis Caiaphæ.

Scaligeri & Casauboni opinio.

Procurator fuisset. Sed antequam eò perveniret, Tiberium decessisse. Postea cap. vi. narrat Vitellium, qui per Marcellum abfens Pilatum in ordinem redegerat, Hierosolimam adventasse, & ibidem Caiapham exautorasse. Quare subinde post Pilati profectiorem, Caiaphæ successor datus est. Quod si ita est, non septem ille dumtaxat annis, sed supra decem Pontificatum administravit. Nam à Valerio Grato proventus est; idque ut anno ejus ultimo factum sit, Pilati certe decem annos implevit. Et quamquam Josephus historiam, non Annales conscribens, exactam annorum ἀριθμῶν perpetuò servaverit; tamen nullo idoneo fati argumento colligi potest, Caiapham anno Tiberii xx. Pontificatum decessisse fuisse, aut anno Grati ultimo ad eundem esse promotum. Quocirca probabile mihi videtur, Valerium Gratum, qui anno circiter Tiberii secundo Judæam procurare cepit, eodem ipso, Anano Pontificatum abrogasse, eique substituisse Imaëlem Fabi F. anno Christi xvi. deinde anno Christi xvii. Eleazarum Anani F. in Imaëlis locum subrogatum: anno verò xviii. Simonem Camithi filium. Ita decem anno Christi xix. Tiberii v. Valerii Grati Procuratoris anno quarto, Caiapham Pontificatum iniiisse, in eoque xvii. annos perseverasse, vel etiam xviii. inchoasse; ut rectè Baronius ad annum Christi xxxi. N. viii. docuit; cui tamen in eo non assentior, quòd Josephum ait anno tertio Tiberii Caiaphæ initium tribuere. Neque enim id historicus ille significat: sed probabili dumtaxat ratione annus ex eo quintus potius quam secundus elicitur. Utrum autem toto illo annorum intervallo solus Caiaphas Pontificatum tenuerit, res est præcipue cujusdam, neque satis explicatæ questionis; quam proximè subjicimus.

CAPUT LVIII.

De duobus Pontificibus, Caiapha, & Anna; & utrum aliquando Pontifices duo simul, eodem præditi jure, præfuerint. Beza, Scaligeri, & Casauboni hallucinationes.

QUESTIONIS origo ex Joannis, ac Lucæ verbis proficiscitur: qui Caiapham cum Anna conjungunt. Primum Lucas cap. ii. com. 2. Joannem Baptistam prodicisse scribit in lucem, sub principibus sacerdotum Anna & Caiapha. Idem Ag. xv. 6. Annas princeps sacerdotum, & Caiaphas, &c. Joannes verò cap. xi. 49. Caiapham ait fuisse Pontificem anni illius: nec non cap. xviii. 13. Hinc jure dubitatur, eoque ambo illi simul Pontificatum tenuerint. De qua re ita sentit Eusebius lib. i. Hist. cap. x. Christum inchoatam sub Anna prædicationem, sub Caiapha perterritum: quod spatium, inquit, non plenos quatuor annos complectitur. Nam post Annam singuli annis singulis Pontificatum tenuerunt. Hæc Eusebii sententia perabsurda est; neque alteri ejusdem definitioni consentanea. Pilatum enim dicit anno duodecimo Tiberii procuratorem cepisse; Christum verò baptizatum anno xv. Tiberii, & quatuor annis prædicasse. Igitur octavo decimo Tiberii mortuus est, Pilati vi. vel vii. Atqui Annas longè ante adventum Pilati Pontificatu cesserat, & cum Caiaphas jam inierat. Aliud ergo querendum fuit; & verò magna contentione questum ab eruditissimis Annalium, Chronicorumque scriptoribus, qui nodum illum variis modis tentant solvere.

Video qui Caiapha soli Pontificatum per illud tempus adscribat: Annam verò ideo Pontificem appellari putet, quòd caput esset Synedrîi magni, quod ex lxxxi. v. vis constabat. Sed ea ratio merito ab eruditis non probatur. Nam Synedrîum è solo genere Sacerdotali minime constabat, ut qui ei præfisset, &c. id est Sacerdotum princeps diceretur. Deinde gratis istud usurpat, quod nullus auctoris testimonio demonstrat; principem Synedrîi Pontificem esse nominatum. Non desunt, qui Annam propterea velint Pontificem vocari, quòd olim Pontificatu perfunctus esset; quomodo Episcopi dicuntur etiam ii, qui Episcopatu sese ipsos

abdicarunt. Verum cur solus Annas Pontifex ex illorum numero vocatur, cum tot alii Pontificatum & ipsi gessissent? Theodorus Beza in Annot. ad cap. xi. 49. Beza sententia à Casaubono non intellet. ad ea nos remittit, que ad cap. xi. Marci, com. 26. adnotarat. Ibi verò apparere dicit ex lib. i. Paral. cap. xxiv. 2. & 3. duos fuisse Pontifices, qui vicissim fungerentur sacerdotio: quamvis unus præcipuus esset, alter verò ab eo secundus, ut liquet ex ii. Reg. cap. xxv. 18. Ex hoc Beza scholio, non obscurum est quid fenserit: videlicet Annam & Caiapham ita Pontificatum simul gessisse, ut alter alteri dignitate antecederet. cuiusmodi nempe Caiaphas fuit. Casaubonus in Exercit. ad Ann. Baron. Exercit. xii. cap. iv. Beza sententiam approbat, eandemque ab Scaligero in Prolegom. Eusebianis ad Jacobum Augustum Thuanum explicatam asserit. Sed neque Beza sui sententiam accepit; & absurdè nonnulla ad idem negotium & ipse cumulavit. Expendantur imprimis que Scaliger in Prolegom. super ea questione disseruit. Statuit ille nequaquam duos summos Sacerdotes eodem fuisse tempore: & hanc insistentiam Eusebii esse docet, quòd tam Annam, quam Kaiapham apud Lucam, putavit esse summum Pontificem: quam tamen Annas fuerit non &c. verè, sed, ut Ecclesia Constantinopolitana loquitur, &c. &c. Hujus exemplum ex Josepho supra retulimus lib. xviii. cap. viii. cum scribit Matthiam Pontificem ob infirmitatem, vicarium ei functioni præfuisse fratrem Josephum. Quamobrem Annam credit Scaliger Caiaphæ generi sui vicarium fuisse, non summum Pontificem. Idem & Casaubonus affirmat, & observationem istam exemplis duobus adstruit videlicet ex ii. Reg. xxv. 18. & ex i. Paral. xxiv. ubi Nadab, & Abiu conjunguntur, & Eleazar, & Ithamar. Hæc illorum ratio plurimum à Beza, quem in partes vocat Casaubonus, opinione dissentit. Beza quippe duos istos Pontifices summos fuisse sentit, & vicissim functionem obivisse at illi alterum non Pontificem, sed Pontificis vicarium faciunt. Atque ut allato ab Scaligero exemplo potissimum utar: quemadmodum cum Augustus Cæsarem sibi cooptabat, nequaquam is Imperator, vel Augustus dici poterat; aut vicissim eum Augusto imperium administrasse. Ita qui à summo Sacerdote vicarius & optio capiebatur, summus Sacerdos, aut Pontifex appellari non poterat, neque vicissim cum eo functionem obit. Multum igitur à Beza Casaubonus cum Scaligero suo dissentit. Quòd verò Scripturæ testimonia ad hoc negotium adhibent, non solum præstrâ, sed etiam absurdè colliguntur. Etenim i. Paralip. xxiv. duo paria copulantur; Nadab, & Abiu; Eleazar, & Ithamar. Ex quo si rectè illorum opinio deducitur; necesse est, ut affirmet, vivo adhuc Aaronè, alterum ex ambobus summum fuisse Sacerdotem, & primarium: alterum verò summum quidem & ipsum Pontificem; sed minorem, ut Beza placuit: vel optionem, & vicarium, ut Scaliger, & Casaubonus opinantur. Utrumque verò falsum est, & absurdum. Neque enim, superlittere præsertim Aaronè, alius sacerdos summus existit: nisi forte tres pro uno Pontifices Judæi tunc habuerint. Sed nec Aaronè mortuo Pontifex summus, aut Sacerdos, præter Eleazarum, ullus fuit; cujus filio Phineez divinitus est promissa successio, cuiusque post ipsum posteris, & quidem in sempiternum (quod supra quomodo accipiendum esset ostendimus.) Si Phineez posteris, & Eleazaritis præcipue summum sacerdotium divino illo responso conceditur; optio verò, sive vicarius, aut sacerdos secundus ille dicitur est, qui in spem successione adscibeatur; ut Scaliger, & Casaubonus existimant; velim illud nobis explicent; quomodo Ithamar optio fratris & vicarius fuit; qui à sacerdotii summi successione erat exclusus. Neque verò negandum est, quod ab illis observatur; præter summum, S 3 alterum

Scaligeri, & Casauboni absurda ratio.

* De secundo à magno Sacerdote, Majestatis non semel. Petavio.

alterum fuisse, qui secundum ab eo locum obtineret: cuius mentionem facit lib. iv. Reg. cap. xxv. 18. & in Pirke Aboth. cap. 111. וְעַד שֶׁיָּבֹא הַמָּוֶת הַזֶּה הָיָה עוֹמֵד בְּעַד הַמָּוֶת הַשֵּׁנִי וְהָיָה עוֹמֵד בְּעַד הַמָּוֶת הַשֵּׁנִי וְהָיָה עוֹמֵד בְּעַד הַמָּוֶת הַשֵּׁנִי

Quomodo duo Pontifices ex eodem tempore fuerint.

Que cum ita sint; nulla ex omnibus interpretandi ratio probabilior apparet ea, quam antiqui quidam Patres significant; si a nonnullis, qui una sunt admitti, historicis erroribus repurgentur. Augustinus enim Tract. xlii. in Joannem, per ambitionem, & contentiones ait inter Judæos postea constitutum, ut plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent: * quod in Zacharia Joannis patre contigit esse credit. Nam incensum sortito posuit; quod nemini, præterquam summo Sacerdoti licuisse putat. Eusebius præterea lib. i. Hist. plures per illa tempora vicissim, ac singulis annis, Pontificatum administrasse refert. Ex horum sententiis illud tantum amplectimur: Caipham, & Annam sub ipsum prædicationis Dominicæ tempus alternis Pontifices fuisse; sive ita cum Romano Præside, & inter se pacti sint, ut eam dignitatem vicissim obtinerent: sive Pilatus ipse à Caipha ad Annam, & ab hoc ad Caipham summum Sacerdotum identidem transfulerit. Ac videndum an ex eo, quod Actorum iv. 6. Annas non solum primus nominatur, sed etiam *ἀρχιεπίσκοπος* solus appellatur, post Nisan, & Pascha Pontificatus ad Annam eo ipso, quo Christus passus est, anno redierit. Reliqua de Zacharia, & incenso solis à Pontificibus maximis adoleri solito, quæ Augustinus adjunxit, satis ab aliis refutata sunt. Neque verò duos illos simul, & eodem anno Pontifices fuisse credimus. Quod utrum aliquando contigerit, bini ut apud Judæos, Pontificatum tenerent pari potestate præditi, disputant eruditi Interpretes, Annasumque Scriptores.

Præcipua controversia vis in Sadocum, & Abiatharem incumbit, quos eodem tempore summo esse Sacerdotio sanctos, quidam existimant. Cum enim Saul Achimelechum Pontificem interfecisset, Abiathar ejus filius ad Davidem confugiens, Ephod solum abstulit, & illi deinceps inhæsit. Quare ne Saul interim Pontifice caruisse videatur, Sadocum putant in Abiatharis locum ab illo substitutum. Ita sentit Abulenſis, & Sigonius lib. v. de Rep. Hebr. Toletus in cap. xviii. Joannis. At ea sententia minimè placet. Quippe Sadocus, ut jam antea diximus, *puer egregie indolis* appellatur, i. Paral. xlii. 28. octavo anno post Saulis obitum. Idem portò post Davidis mortem à Salomone in Pontificem electus Abiathare pulso, & perunctus est: i. Paral. cap. ultimo, com. 22. Itaque Sadocum regnante Davide non Pontificem, sed Pontifici velut accensum, ejusque vicarium, & optionem fuisse non dubitamus: ac nullo unquam tempore binos eodem jure, ac potestate præditos Pontifices existisse.

CAPUT LIX.

De C. Julii Caesaris Consulatu, & Dictatoris. Veterum sententia adversus communem & hodiernam adstruitur.

Quo de Juliani anni epocha, quam deinceps inquirimus, certum aliquid, & exploratum possit asserri, nihil perinde necessarium est, ac Julii Caesaris honores & magistratus accuratè cognitos & distinctos habere. Ideo caput hoc ei rei disputandæ, ac pericru-

tandæ tribuendum duximus. Ac sunt nonnulla, de quibus inter se Scriptores omnes consentiunt. Velut est, Consulatum ipsum quinque fuisse: tum Consulatum ejus primum incidere in annum Urbis, ex Varroniana putatione, dcccv. in quo collegam habuit M. Bibulam. Ad hæc, Consulatum secundum ejusdem decennio postea contigit, anno Varroniano dcccvi. ejusque collegam fuisse P. Servilium; quod ipsemet lib. 111. Comm. de bello civili testatus est. De Dictaturarum numero tota controversia movetur: utrum quater, an quinque Dictator sit appellatus. Et ut res tota plenius, ac facilius diducatur possit; sex postremos annos, quibus Cæsar vixit, ab initio civilis belli contra Pompeium gesti, ad ipsius necem singillatim exponemus, & quæ singulis acciderint brevissimè complectemur.

Anno igitur ab Urbe condita secundum Varronem dcccv. Coss. Claudio Marcello, & L. Cornelio Lentulo, bellum civile constatum est: cum inimici Cæsaris Romæ id egerunt, ut Cæsari successores mitteretur L. Domitius Ahenobarbus: qua de re SC. factum; cui Antonius, & Cassius Tribuni Pl. intercesserunt. Inde mandatum à Senatu Magistratibus, & Pompeio, viderent ne quid Resp. detrimenti caperet. Cæsar cum copiis in Italiam venit. Fugit Pompeius. In Hispaniam ex Italia profectus Cæsar Pompeianorum exercitus in deditionem accepit. Rediens Massiliam oppugnavit, ac cepit. In ea obsidione cognovit se à M. Lepido Prætor Urbi Præfecto Dictatorem esse factum comitorum habendorum gratiâ. Romam itaque veniens Dictatorem inivit, qua se post xi. dies abdicavit: cum comitia prius habuisset, in quibus ipse cum P. Servilio designatus est Consul.

Anno Urbis dcccvi. Coss. fuere C. Julius Cæsar ii. & P. Servilius. Cæsar Roma profectus Brundisium pervenit. Inde in Macedoniam navigavit: ac demum cum Pompeio extremo prælio congressus victoriam retulit: secundum quam Pompeius fugiens in Ægyptum, ibi à Ptolemæo est occisus. Anno dcccvii. Cæsar Alexandriæ cum esset, Dictaturam in annum sibi delatam inivit, & Dictator ii. fuit, ut auctor est Dio lib. xlii. Hoc enim anno bellum in Ægypto & Alexandria longè periculosissimum gessit. Pharnacem deinde Mithridatis filium devicit. Sub anni finem, Romam cum venisset, Suffrag. Coss. creavit, Q. Fufium Calenum, P. Vatinius.

Anno dcccviii. Coss. fuere C. Julius Cæsar iii. & M. Lepidus; ut Fasti Capitolini, & lapides testantur. At Dio lib. xliiii. Cæsarem hoc anno Dictatorem iii. & sub anni finem, Cof. tertium fuisse scribit, collega Lepido. Hoc anno Cæsar Africanum bellum cum Scipione, Catone, & Juba rege feliciter confecit. Inde Romam reversus quatuor triumphos de Gallis, Ægypto, Ponto, & Africa deportavit; etsi alii id ad sequentem annum referunt.

Anno dcccix. Cæsar Dictaturam gessit, M. Lepido Equitum Magistrum. quam tertiam Fasti Capitolini; Dio, & alii Scriptores quartam numerant. Eodem etiam anno Cof. iv. fuit cum eodem Lepido. Tum Q. Fabium, C. Trebonium Coss. suffecit. & mortuo Fabio extremo anni die, ad paucas horas Cæsarium Rebilum Cof. fecit. Per eundem annum Hispaniense bellum cum Pompeii liberis gessit; unde Octobri mense Romam rediens triumphavit. Novos tum honores consecutus est, uti Pater patriæ diceretur, Consul in decennium ut esset; Dictator in perpetuum: ut sacrosanctus haberetur: tum ut Imperator vocaretur, & alia complura.

Anno dccc. Dictator fuit Julius Cæsar iv. M. Antonio Magistro Equitum. postea & Consul v. cum eodem. Dio tamen, & alii Dictatorem v. faciunt. Eodem anno in Senatu à Bruto & Cassio cæsus est.

Ex iis igitur que sit inter se Scriptorum dissentio liquet. Nam alii Dictatorem quinque Cæsarem, alii quater tantummodò faciunt. Ac de anno quidem dcccviii. & sequentibus controversia est. Sunt enim Scriptores antiquissimi, qui anno illo dcccviii. Cæsarem Dictatorem iii. & designatum iv. fuisse velint, ut Hirtius lib. de Bello Hispaniensi sub initium: C. Cæsar Dictator

Bellum civile quæto tempore. Communis opinio veteribus dissentans.

Dictator iii. designatus iv. multis inveniuntur autè conscriptis, cum celeri festinatione ad bellum conficiendum in Hispaniam convenisset, &c. Annus Hispaniensis belli, quod cum Pompeii liberis Cæsar gessit, est Urbis condita dcccix. Ad hoc bellum in fine anni dcccviii. profectus videtur: hieme certè. Nam & Atteguam hiberno tempore obdidit, ut auctor est Dio libro xliii. quem cepit a. d. xi. Kal. Mart. teste Hirtio libro de bello Hispan. Quare anno dcccviii. Dictator fuit iii. & designatus iv. quam Dictaturam quartam gessit anno sequente. Quocirca ex Hirtii auctoritate constat Cæsarem anno exeunte dcccviii. Dictatorem iii. appellatum, & designatum iv. siquidem ante exitum anni illius in Hispaniam profectus sit; quod verisimile est. Cum Hirtio sentire videtur Suetonius; qui in Julio cap. lxxvi. Tertium, inquit, & quartum Consulatum titulo tenus gessit, contentus Dictaturæ potestate, decreta cum Consulatu simul, que verba demonstrant, cum Consulatu illis duobus Dictaturas totidem concurrisse: neque cum iv. Consulatu, tertiam Dictaturam fuisse compositam, sed quartam. Nam secunda Dictatura ante Consulatum 111. eidem decreta fuit, cum secundum Magistrum esset. Accedit is Dio, qui omnium apertissimè Dictaturas totidem, quot Consulatus enumerat. Ab his auctoribus eruditi homines dissentiant; qui Consulares Fastos pari labore, atque industria conscripserunt, Sigonius, Onufrius, Pighius, Hubertus Goltzius, Cuspinius; quæ plerique vulgò sequuntur, quorum est illa sententia; Cæsarem quater Dictatorem, Consulatum quinque fuisse, quæ quidem sic ordinanda putant. Anno Urbis condita Varroniano dcccvi. post occisum Pompeium, decreta est illi secunda Dictatura in annum, cum secundum Consulatum gereret, collega Servilio. Hanc Dictaturam inivit anno sequenti dcccvii. cum M. Antonio Magistro equitum. eodemque anno Scipione & Juba devictis, tertia illi Dictatura tribuitur in x. annos, quam anno dcccix. gessit, M. Lepido equitum Magistro; & eodem anno Cof. quartum fuit. Nam tertium anno dcccviii. sumpsit. Anno demum dccc. Dictaturam iv. anno superiore sibi in perpetuum decretam inivit cum Consulatu v. Hæc illi. Niantur autem veterum marmorum fragmentis duobus; altero Capitolino, ex quo Falcos Capitolinos exscripsit Sigonius, Onufrius, & c. altero Colotiano, quod idem, & Pighius exhibent. Capitolina marmora, quæ & à Smetio, & Grutero describuntur, docent Cæsarem Dictatorem primò fuisse anno illo, qui secundum ejus Consulatum antecessit: anno verò sequenti, qui est Varronianus dcccvi. Consulatum 111. tantummodò, non Dictatorem fuisse. Anno portò dcccvii. qui est Fasti illis dcccvi. Dictatorem ii. cum magistro equitum M. Antonio referunt. Anno sequenti, qui est Varronianus dcccvii. Dictatorem iii. cum Magistro equitum M. Lepido faciunt; & eodem anno Cof. iv. sine collega. Colotianus verò lapis Cæsarem non nisi iv. Dictatorem nominat.

Hæc antiquorum opinio præfertur.

Cum hæc sit omnium ferè, qui Romanorum Fastos, & historias commentati sunt, consensu recepta sententia: qui ab ea distideat, gravissimis cum necesse est, & evidentissimis rationibus urgeri. Ejusmodi illas esse credimus, quæ nos ab illorum opinione dimovent, & in contrariam adducunt, eamdemque vetustiorum, ut Sigonius, alique, qui contra stant, fatentur, auctoritate firmatam; præsertim Hirtii. Ita enim arbitramur; Cæsarem eo anno, quo Consul 111. fuit, Dictatorem fuisse 111. & quo Consulatum quartum obtinuit, quartam itidem Dictaturam cepisse. Docent hoc veteres numi, quorum meminit Goltzius pag. xvi. & Occo pag. 8. cum hac inscriptione AVGVSTVS PONTIFEX MAX COS. QVART. DIC. QVART. apud Oceanum additæ IMP. QVART. Consulatus quartus Cæsaris convenit in annum Urbis Varronianum dcccix. qui proxime illum antecedit, cuius in eid. Martii interfectus est. Et quidem anno dcccix. Cof. simul & Dictat. fuisse, docet illi Fastorum Scriptores consentiunt. Non igitur Dictator tantummodò tertium Consulatu quarto fuit. Sanè veteres numi Dictatorem iv. & Dictatorem perpetuum aperte distinguunt. Nam alii Dicr. iv. exhibent; alii Dicr. perpetuum. quorum aliqui Cof. v. cum Dicr. fere conjungunt; nulli cum Dicr. iv. quod argumento est non eandem fuisse Dictaturam quartam, & perpetuam. Jam verò apud Goltzium pag. xv. & Occonem pag. vi. unus est cum hac inscriptione, Dicr. ITERVM, COS. TERT. Visus est &

Pighius numus iste. Meminit enim ad annum dcccviii. qui est Varronianus dcccviii. in quem Consulatus tertius Cæsaris incurrit: atque ex numo illo probat Pighius, Dictaturam tertiam post Consulatum tertium accidisse; quam ideo cum iv. Consulatu comparat, Sigonius, & Onufrius fecerunt. Verum nos illis superiorem numum opponimus, in quo Dicr. QVART. & COS. QVART. conjunctim exprimuntur. Quare ut inter se veterum monumentorum conflictus in concordiam adducatur, ita feriem omnem Dictaturarum, Consulatumque digirimus. Anno Varroniano dcccvi. Cæsar Dictator ii. creatus est post mortem Pompeii, quæ contigit Prid. Kalend. Octobris, ipso die natalis sui. quod Velleius & Plinius lib. xxxvii. cap. 11. testantur. Dio lib. xlii. Dictaturam Cæsari decretam statim post auditam Romæ Pompeii necem asserit, antequam bellum Alexandrinum attingeret; additque Cæsarem quamvis extra Italiam esset, statim inivit Dictaturam, & Magistrum Equitum Antonium assumpsisse. Hoc anno ipso exeunte dcccvi. factum apparet. Itaque Dictator 11. jam tum ex fine anni hujus appellari cepit. Idem docet Epitome Livii lib. cxli. Scribit enim, Cæsarem post tertium diem, quam Pompeius in Ægyptum fugerat, infecutum, Alexandriam tumultuantem intrasse, & Dictatorem creatum Cleopatram in regnum reduxisse, ac bellum Alexandrinum patrasse. Dictatura hæc annuo spatio finita, majorem partem anni dcccvii. tenuit, quo in Ægypto novem mensibus periculosissimum bellum confecit. Inde contra Pharnacem profectus, celerius opinione sua debellavit, ac Romam rediit. Anno dcccviii. Consulatum 111. obtinuit, & postea Dictaturam. At Dio primum Dictaturam: inde sub exitum anni, Consulatum cepisse prodidit. Cui & suffragari videtur Suetonius, cum scribit, Cæsarem tertium & quartum Consulatum titulo tenus gessisse, contentum Dictaturæ potestate cum Consulatu collata. Nam de Dictatura secunda verba illa nequeunt accipi, cum ante Consulatum tertium illius tempus deserit. Verius est tamen Consulatum primò: inde Dictatorem fuisse. Nam veteres numi Dictaturam 11. cum Consulatu 111. copulant, quod sic accipiendum est, ut cum, Dictator jam bis fuisset, ac secundam anno antecedente gessisset, ejus licet annuo finito spatio Dictator 11. appellatus sit, quod in lapidibus & numis frequens est, ut eo etiam anno, quo Consulatum non gerunt Imperatores, toties Consules inferantur, quot ad illud tempus Consulatus ceperunt. Quare Dictator 11. anno dcccviii. & Cof. 111. primis mensibus fuit. Bello Africano confecto, a. d. 111. Kal. Quint. Romam reversus Dictator 111. creatus est, & quidem in decennium, quem Magistratum eodem anno inivisse, non in sequentem distulisse puto.

Consulatum & Dictaturam or. Pag. 195.

Itaque Dictator 111. & Cof. 111. fuerit. Nam & Hirtius hoc anno, ut apparet, profectum in Hispaniam Cæsarem asseverat cum Dictator esset 111. designatus iv. quod sic interpretor. Cum ad annos decem Dictator creatus esset, singulis annis singula Dictaturæ numeranda erant, & antecedentium numerum augebant. Quando igitur tertio Dictator est factus, quo anno primam ex illis decem inivit, Dictator 111. appellatus est. tum quòd anno proxime sequenti Dictaturam alteram initurus esset, designatus iv. vocatus est: adeo ut designati vocabulum ad eam, que desponsa & obunda proxime jam erat, Dictaturam referatur. Anno dcccix. Cæsar Dictator 111. primis mensibus fuit: Consulatum verò iv. cepit, postquam ab Hispania victor est reversus, mense scilicet Octobri, ut Velleius refert. Pighius ad annum dcccvii. qui est Varronianus dcccix. suspicatur Cæsarem, ut Consul triumpharet, quartum Consulatum cepisse. Commodum ante mensum illum primus annus decennalis Dictaturæ finitus erat. Cæpit enim post Quintilem, ut paulò ante diximus. Ita secandus annus Dictaturæ, quæ quarta ordine numerabatur, putari cepit, & cum iv. Consulatu procedere. quo quidem Consulatu se statim abdicavit, Dictaturæ potestate contentus: sibi que Cof. suffecit Q. Fabium Maximum, & C. Trebonium, exeunte Septembri. Nam trimestrem Consulatum Q. Maximum appellat Suetonius, qui extremo anni die mortuus est. Eodem anno cum alios honores, tum Dictaturam perpetuam adeptus est, idque sub anni finem, ut arbitror. Unde cum Consulatu v. quem anno dccc. inivit, Dictatura perpetua copulatur;

* Augustinus Tract. cxlii. in Joan. in fine, Chrysostomus Hom. lxxix. in Mattheum ad cap. xxv. 9. ubi de Zacharia. Petavimus.

numquam cum quarto Consulatu. Apud Josephum lib. xiv. cap. xvii. extant complura Caesaris rescripta in Iudaeorum gratiam. Inter haec unum est, cui titulus iste praefigitur: Καὶ ὁ Καίσαρ ἀποκαθάρσας, ἀνελάσας τὴν πόλιν, ἔταψεν τὴν ἐν αὐτῇ ἀνελευθέρωτον καὶ ἀβύσσον. C. Caesar Imperator, Dictator IV. Cos. V. Dictator perpetuus. Sed mendosa est inscriptio. Nam Rufinus ita vertit: C. Caesar quater Imp. quinquies Cos. in perpetuum Dictator. Itaque verba illa, Dictator IV. aliena sunt. Sed verior ut Rufini codex penitus expers mendis fuerit, cum legit Imperator IV. eodem anno, quo Cos. V. fuit. Quippe Consulatum V. gessit anno dccx. cum eo verò numerum veterum Inscriptiones Imp. VI. componunt apud Goltzium, & Occonem. Unus item apud Goltzium cum hac epigraphe visitur: IMP. QVIN. COS. QVART. Quare cum V. Consulata non convenit IMPER. IV. sed VI. Proinde apud Josephum suspicor duorum rescriptorum Caesaris inscriptiones diversas in unam coaluisse librorum vitio, vel pro Imp. IV. legendum VI. Ceterum postquam Dictatura in infinitum tempus Caesaris tributa est, nullo jam numero comprehensa fuit; sed perpetua vocata. quod Inscriptiones ostendunt anno dccx. edita. Nihilominus Dio Dictaturam V. nominat, & à quarta discernit. Verum quia nondum annus

- C. I V L I V S C. F. C. N.
C. I V L I V S C. F. C. N.
M. A I M I L I V S M. F. Q. N.
C. I V L I V S C. F. C. N.
Q. F A B I V S Q. F. C. N.
M O R T V V S E S T. I N E I V S L.
C. C A N I N I V S C. F. C. N.
C. I V L I V S C. F. C. N.
M. A I M I L I V S. . . .

- C A E S A R I I I. M. A. . . .
C A E S A R I I I. D. . . .
L E P I D V S M. A. . . .
E O D E M A N N O
C A E S A R I V. S I N E. . . .
E O D E M A N N O
M A X I M V S I N M. . . .
R E
C

&c.

Eodem anno, quo Caesar Dictator III. fuit Magistro Equitum Lepido, docent quartum item fuisse Consulem, & eodem rursus anno, suffectum Consulem Fabium; ejusque mortui loco Caninium: cum tamen hac omnia non eodem anno contigerint, ut ex iis patet, quae haecenus disputamus. Ad haec cum post C. Caninium subjicitur C. Iulius C. F. C. N. C. M. Aemilius. . . . Dictaturam, nisi fallor indicant quartam; quam eodem illo anno quo IV. Cos. fuit, adiit, ante Consulatum V. qui postea subjicitur. Ideo nec adversus sententiam nostram Capitolina ista fragmenta pugnant. Idem de Colontiana tabula dicendum est; quae post Caninii Consulatum, Dictaturam IV. Caesaris, inde Consulatum V. subjicit. Nam ante Consulatum V. & quidem anno dccx. Dictator IV. fuit, anno inveniunt secundo Dictaturae decennalis; quae in perpetuum subinde conversa, quarta nihilominus à quibusdam est numerata: licet alii à quarta distinxerint, ac perpetuam nominarint Dio verò quintam. quod minime reprehendendum fuit.

CAPUT LX.

De Solis defectione, qua civile Pompei, & Caesaris bellum antecessit.

INTEr alia portenta, quae civile Pompei Caesarisque bellum antecesserunt; Dio lib. xli. scribit Solem totum defecisse. & πέντε ἡμέρας ἐξέλειπε. Sol penitus defecit. Hoc verò anno antecedente belli civilis initium accidisse significat. Cespit autem civile bellum anno ab Urbe condita dccv. Varroniano, Cornelio Lentulo, & Claudio Marcello Cos. Quare paulo ante hunc annum, id est anno dccv. eclipsis illa Solis incidit. nempe, ut ille scribit, ἀπὸ τῆς ἡμέρας. Sanè ex Parisinis nostris tabulis invenimus maximam Solis defectionem anno illo Periodi Julianae, qui illum praecessit, in quem anni ab Urbe condita dccv. initium cadit. Etenim anno Periodi Julianae 4663. defecit Sol Martii Julianae VII. Sole secundum ἀπὸ τῆς ἡμέρας motum Piscium gradum 15. peragrante. Nam vera luminarium conjunctio Romae in-

* Lege hic ex Codice-Petaviano: in eodem centro, licet procul à descendente nodo.

secundus Dictaturae, qui ab Octobri anni dccx. inierat, expletus erat, ideo Dictatura IV. etiam anno dccx. à nonnullis est putata. quod in Fragmento Capitolinae tabulae videmus, in ea parte, quae triumphos continet. Ibi enim legitur: C. IULIVS C. F. C. N. CAESAR VI. DICT. IIII. OVANS A. DCC. EX MONTE ALBANO VII. K. FEBR. Triumphus Caesaris sextus, five ovatio contigit eo anno, quo Dictator IV. fuit. Ergo anno dccx. & ultimo; siquidem Januario accidit. Nimirum eadem Dictatura licet perpetua, tamen per annos est numerata, uti & Tribunitia potestas; quam, quia perpetua deinceps existit, à quarta distinxerunt alii.

Quamobrem in eo nos ab eruditissimis illis Faistorum Scriptoribus dissentimus; quòd Dictaturam tertiam in eundem annum incidisse credimus, quo Consul III. fuit: Dictaturam quoque quartam in eo cepisse, quo Consulatum quartum iniiit. quod Hirtii antiquissimi historici, aliorumque Scriptorum testificatione primarium inscriptionum auctoritate fulcitur. Quòd ad Capitolinas tabulas spectat, ex Dictaturis non iis annis, quibus inite sunt, adscribunt; quòd in eorum sine coeperint; sed insequentibus, quorum majorem partem occupant. Adde quòd mutilae sunt, & fortasse mendosa non carent, in IV. Consulatu Caesaris. Ita enim exhibent:

CAPUT LXI.

De primo anno Juliano, & anno Confusionis.

Nihil ex omnibus Caesaris actis praestantius, aut immortalis nominis fama dignius existit, quam Romani anni castigatio, quem adhibito Sosigene, alii-que Mathematicarum artium consulti, ad eam, quae Christianis hodie orbis utitur, formam redegit. Hac enim melior est nulla; neque ad popularem usum aptior; nec ullius hominis industria excogitari altera potest; quae cum tanta facilitate, & aequilitate, solarium conversionum modum propius attingat. De hujus origine, & institutione satis multa diximus initio lib. quartii: ubi & de anno, quem Confusionis vulgo nominant, accuratè

LIBER DECIMUS; CAP. LXII.

accuratè verba fecimus. Nunc utriusque tempus asserendum; ac primo loco posterioris, id est anni Juliani, quoniam inde prioris epocha dependet.

Est autem Juliani anni primordium investigare per facile. Nam propter ejus instituti celebritatem, nemo ferè veterum, qui quidem Caesaris historiam perscriberet, ejus memoriam omisit. Quare certissima testatissimaque est epocha primi anni Juliani; neque, quatenus ad artem Christianam refertur, controversiam ferè habet ullam: tamen, quod ad Caesaris Magistratus attinet, aliisque temporum notas, perperam à quibusdam consignata fuerit. Nos certis primùm & indubitatis argumentis annum illum stabilivimus: tum Scaligeri, & aliorum errata castigabimus.

Annus primus Julianus optimè omnium à Censorino constituitur, in eximio illo libello de die Natali cap. xx. ubi ita scribit; C. Caesarem suo III. & M. Aemilii Consulatu perturbatum annum ordinasse, ac diebus aliquot interjectis, adeo ut ccccix. constaret annus ille, reliquos deinceps in viam ordinemque compulisse. Ex hoc anno, inquit, ita à Julio Caesare ordinato, ceteri ad nostram memoriam Juliani appellantur, eique consurgunt ex IV. Caesaris Consulatu. Quartus Caesaris Confusio pertinet ad annum Urbis conditae dccix. Dio quoque testatur anno, quo Caesar III. Dictator, & Consul fuit, annum ordinatum & correctum fuisse: qui est annus Urbis dccviii. quo insertis aliquot diebus Romanus annus in ordinem revocatus est. Praeterea Censorinus cap. xxi. annum, qui Ulpium, & Pontianum Cos. habuit, ait esse ab Olympiade prima millesimum, & decimum quartum, à Roma condita nonagesimum nonagesimum primum; Julianum verò ducentiesimum octogesimum tertium ex die Kal. Januarii. Annus primus Olympiadis est Periodi Julianae 3938. Itaque si ad annos 3937. adjungas 1014. ultimus inibit anno 4951. Itaque annus 1014. Iphiti cepit à solstitio anni 4951. qui est aet. Christianae cccxxviii. Jam si ab annis 4951. detrahas cccxxxiii. relinquuntur 4668. Igitur anno 4669. primus annus Julianus iniiit, qui est ante Christianam artem quadragesimus quintus. Rursus si de annis 991. deducas annos 283. relinquuntur 708. Ergo dccix. Urbis conditae primus Julianus iniepit. Eodem modo, cum annus ille à Censorino designatus coeperit à Kalendis Januariis, quae initium anni Iphiti millesimi decimi quarti praecesserunt, inchoatus est labente anno Iphiti millesimo decimo tertio. Quare de mille tredecim annis, detrahe ducentos octoginta tres, reliqui erunt dccxxx. Igitur anno Iphiti dccxxx. labente, Kal. Januarii. iniiit annus primus Julianus, qui est annus tertius Olympiadis centesima octogesima tertiae aet. sex menses inchoatus. Erat annus à Nabonassaro dcciiii. cujus Thoth incurrit in Septembris IV. feria VI. anno Periodi Julianae 4668. cyclo Solis xx. litt. D. Kalendae Januariarum anni sequentis 4669. est centesimus viciesimus dies à quarto Septembris. Ideo in ultimam Chociac incidit Kalendae anni primi Juliani, feria VI. cyclo Solis XXI. litt. GB. Luna XIV. anno mundi 3939.

Libro de confusione annorum, pag. 374.

Quamobrem Christmannus injurià Scaligerum arguit, quòd Neomeniam Thoth in IV. Septembris collocaverit, anno Nabonassari dcciiii. quòdque Kalendas Januariarum, à quibus primus annus Julianus sumptit exordium, in ultimam Chociac incidisse scribat. Putat enim in primum diem Tybi congruere. Sed erroris illius, ac falsae reprehensionis fontem ipsum patefecimus libro I. cum adversus eundem Christmannum disputavimus. Hic enim bisextilium annorum feriem mirifice conturbat, ac suisque de qua tempora permisceat. Proinde verus est Scaligeri hac in parte characterisimus. Sed cum ad Periodos Olympicas, & Atticas eorumque menses nos revocat, nequaquam audiendus est. Sunt enim ista commentaria.

Novilunium medium eodem anno contigit Romae hora septima, 6', 35". post meridiem Kalendarum, ut Paulus Forfempromontis refert. Julingensis verò hora sexta, 44', 55". Annus idem Judaici computi numeratur 3716. cujus Tifri character 7, 22, 1008. Septembris VI. feria I. cyclo Solis xx. littera D. anno Pars II.

Periodi Julianae 4668. addito caractere mensium quatuor, Neomenia Schebat incidit Januarii 2. Characterem enim habuit 7, 1, 940. feria VII. anno Periodi Julianae 4669. cyclo Solis XXI. littera CB. Hora itaque secunda * post meridiem Kalendarum, secundum medios motus Judaicos, novilunium commisit est. At Romana consuetudine, quae diem à media nocte ad insequentem mediam computat, Novilunium istud Kalendis ipsis tribuitur. Unde Julium Caesarem Computista passim asserunt epocham anni sui Juliani in eum potissimum contulisse diem, in quem Neomenia lunaris incurreret; quòd & caput cyclo Juliani constitutum ab eodem dicitur. Sed de Juliano cyclo disputatum est lib. VII. Vide & lib. IV. quae de eodem anno definita sunt.

Qui proximè Julianum primum antecessit annus, vulgò Confusionis annus appellari solet. quae de appellatione lib. IV. cap. I. diximus. Hunc annum Censorinus Caesare III. & M. Lepido Cos. notat, qui est Urbis dccviii. idque Dio ipse non minus designat. Hujus initium cadit in diem Octobris XIV. anni Periodi Julianae 4667. ac dies habuit cccciv. uti supra lib. IV. declaratum est. ubi quae diligenter exposita sunt, hoc loco non repetemus.

CAPUT LXII.

De hallucinatione Scaligeri in epocha anni Confusionis. Hirtii ex libro de bello Hispaniensi locus explicatur.

UM de anni Juliani primordium commutem, ac certissimam sententiam amplexus sit Scaliger, nec minus rectè Confusionis annum in Periodi Julianae 4668. collocaverit; in hujus posterioris exemplo, quòd ex Hirtii, vel alterius commentario de bello Hispaniensi produxit, multum hallucinatus est. Verba sunt ejus. Caepit autem ille annus confusionis, quo tempore C. Caesar cum Cn. Pompeio Cn. F. bellum in Hispania gereret. Hoc minimè verum. Nam bellum istud Hispaniense gestum est anno illo, qui proximè Caesaris necem antecessit, Varroniano dccx. adeoque Juliano primo, Periodi Julianae 4669. quo Caesar Cos. IV. & Dictator item quartum fuit. Profectus est enim ad hoc bellum cum III. Dictator esset, & designatus IV. exeunte anno; ut Hirtius, five quis alius auctor libri de Bello Hispan. testatur. Itaque mirifice deinceps argumentatur Scaliger, dum ex ejusdem auctoris commentario de bello Hispaniensi demonstrare nititur, anno ipso Confusionis, licet Romae intercalatum sit, hoc est Merkedonius mensis inculcatus fuerit, tamen in provinciis intercalatum non esse. Nam ridicula est omnis ista ratiocinatio; cum nihil certius sit, quam Hispaniense bellum, & res in eo gestas à Caesare, quas Commentarius ille deseribit, non anno Confusionis, quo intercalatum est, sed Juliano primo contigisse. Praeterea tametsi haec anno ipso Confusionis accidissent, nihilo magis argumentatio Scaligeriana procederet. Sic enim disputat. Scribit auctor ille, nocte, quae fuit pridie, quam Caesar Ventisponne oppidum oppugnaret, Lunam hora circiter sexta visam esse. Quia is auctor singulos dies, quibus quidque gestum sit, recenset ordine, à XI. Kal. Martii: ex ea dinumeratione clarè patet, eum fuisse III. Kal. Martiarum. Erat annus xxxviii. Periodi Alexandriae. Neomenia Caesaeu XV. Novembris. Ut Luna oritur circa mediam noctem oportet ut sit vicesima secunda, aut vicesima tertia: nimirum VII. aut VIII. Decembris Juliani. Itaque si Kalendae anni Romani coeperunt à XIV. Octobris, & non intercalatum sit, Kalendae Febr. concurrerant cum XII. Novembris. Ideo III. Kal. Martias VIII. Decemb. Luna vicesima secunda: ut erat propositum. Non igitur intercalatum fuit. Sed praestat, ex illo Hirtii commentario pauca ordine Caesaris gesta complecti. Profectus est Caesar ad Hispaniense hoc bellum adversus Cn. Pompeii liberos, cum esset Dictator III. designatus IV. Ubi Hispaniam attigit, Ullam oppidum, quod Cn. Pompeius oppugnabat, praesidio munivit, Cordubae interim imminens. Post pag. 383. Attequam obsedit, cum inter hanc, & Uccubim Pompeius castra posuisset. Capta est Attequa ante diem XI. pag. 389. Kalend. Martias, & Caesar Imperator est appellatus: & 190. Pompeius pag. 394. pag. 393.

* Emendabat Petavins: post initium noctis, quae diem Kalendarum excepit, secundum &c.